Historia urbium in Polonia

Cracoviensis cathedr. Ecclesia.

Kościół katedralny.

Lisscewski Andreas: Sacratissimarum reliquiarum, hoc anno — 1613 die 12 Maii in ecclesia cathedr. Crac. demonstrandarum succincta descriptio.

Crac. in off. Nic. Lobij 1613.

SACRATISSIMARVM RELIQVIARVM, HOC ANNO, HVMANÆ SALVTIS A CHRISTO liberatore instauratæ, Millessimo Sexcentessimo Tredecimo, Die 12. Maii.

In Ecclesia Cathedrali Cracouiensi demonstrandarum, succincta descriptio.

AVTHORE
ANDREA LISSEWSKI Artium & Philosophiæ Magistro.

CRACOVIÆ,
In Officina Nicolai Lobij, Anno Domini,
1613.

In Stemma.



Lechiadum Ductor, Lauro Mauorte potita,
In signo hoc fortes iussit abire viros.
Idem velamen, radians complexa Tyara,
Virtutes, Praesul, connotat ecce tuas.
Relligio, Pietas, Probitas, Sapientia, Rectum,
Et merita, hoc fulgent Stemmate parta tibi.



Illustris-

Illustrissimo ac Reuerendissimo in Christo Patri ac Domino,

D. LAVRENTIO GEMBICKI, EPISCOPO CVIAVIENSI, &c. DOMINO AC PATRONO plurimum mihi Colendissimo.

S. P. D.



XPAuescendum mihi profectò esset Illustr: ac Reuerendissime Presul, dum hoc exili opusculo nomen Reuerendissimę Celsit. suę, tot virtutibus exornatum, tot illustre meritis, intitulari presumpserim. Sed quoniam & in Pontificali Infula, non omnes ęqualiter lapides preciosi, pulchro ordine distincti, fulgent: quorum alij maioris, alij minoris precij existentes, sacram exornant Tyaram, ita sanè & hoc leuidense munus, si nomen per se celeberrimum Reuerendissimę Celsit. suę non exornabit, tamen opinor non dedecorabit: etsi illi potentissimo Regi Xerxi agonizanti aquę haustus à suo satellite oblatus, iucundus fuerat, hoc exemplo ego quoque adductus, minimè dubito istas meas lucubratiunculas beneuolo animo, à Reuerendissima Celsit. Vestra suscipiendas fore. Quod meritò me facturum confido, cùm ea scripta, quę honorem Sanctorum defendunt & augent, fraudes hęreseas detegunt & insectantur Reueren. Celsit. Ve-


stræ, qui voce communi singularis Orthodoxæ Religionis Propugnator, immanis hæreseos, Persecutor vocetur, consecranda esse duxi. Quæ dum consecro, obnixè iterum atque iterum peto, vt illa hilari fronte Reueren. Celsit. Vestra suscipere, meque qui vltrò sub tutela eiusdem viuere cupio, fauore ac munificentia sua prosequi non dedignetur, postulante id magnanimitate Reueren. Celsit. Vestræ, obseruantia autem in eandem mea constanti ac perpetua. Dat. Crac. 9. Maij.

Illustrissimæ ac Reueren. Celsit. Vestræ

Humillimus seruitor,

M. ANDREAS LISSEWSKI.

Author



AVTHOR

Pio ac Christiano Lectori, salutem ac fælicitatem precatur.

ANA & veneranda antiquitas, sicut Eustachianos Eunomium & Vigilantium cùm ob alias causas, tùm quod Sanctorũ corpora & Reliquias debito honore spoliarint, meritò tanquam hæreticos refutauit, ita earundem Reliquiarum venerationem magna voluntate, maiori studio, maxima reuerẽtia religiosissimè semper complexa est: fidei siquidem oculis (quos contra veritatis solem pertinaciter quidam claudũt) vsurpabat, quanta & præpotens Deus beneficia mortalibus per sacras Reliquias præstaret, & quam stupenda per eas miracula ederet. Neque enim sanctorum verba tantum aut corpora, ait B. Ioannes,
Chrisostomus. Sed etiam ipsa corporis tegmenta *Hom. 8. ad pop*
semper sunt omni posseßione augustiora. HE- *Antich: & 3* *de virtub: &* *vitiis.*
LIÆ, si quidem Leonina pellis, & Iordanẽ discindere fecit. *4. Reg: 2.*
Trium puerorum calcei per ignem ambularunt. *Dan: 3.*
Elisæi lignum potuit vndarum mutare naturam, quas quidem superficie sua quasi tergo *4. Reg: 6.*
ferrum sustinere coegit. Moyses virga mare rubrum

xod: 14. dehiſcere iuſsit. Petram diſrumpere valuit. Pauli
um: 20. veſtes morbos fuderunt. Petri vmbræ mortem fu-
Acto: 19. garunt. Sanctorum Martyrum cinis improbos dæ-
Acto: 5. mones expulit. Hæc aureum illud os imò diuina
Deut: 34. monumenta conteſtantur. Et quis ſacras literas, vel
extremis digitis attigit, & neſcius eſt, Deum Cor-
pus Moyſis ſingulari honore proſecutũ, dũ illud pro-
prijs, vt Hieronymus cõtra Vigilantiũ loquitur, mani
Reg: 13. bus ſepeliuit. Nonne cõtactu ſuo oſsa Heliſæi Pro-
Math: 9. phetæ mortuũ ad vitam reuocarunt? Cõmendat Sal
uator Hæmorrhoiſsæ fidẽ, quod ipſius fimbriæ veſti-
mẽti attactu, ſe ſanitatem aſsecuturã crediderit. Præ-
cipuus ille Eccleſiæ Doctor & omni exceptione ma-
Lib: 3. Inſtit: ior veritatis teſtis D. Auguſtinus, cui & Caluinus hoc
Cap: 3. 10. elogium tribuit, ab vno Auguſtino ſumant lectores
ſi quid de ſenſu antiquitatis habere volunt: is ergo
plurima eiuſmodi & certiſsima miracula commemo
rat, ex quibus pauca tantùm carpenda. Sanctorum
Martyrũ Geruaſij & Prothaſij corpora per plurimos
Lib: 9. Confeſ: annos incorrupta à D. Ambroſio inuenta ſunt, quæ
Cap: 7. cum digno honore inquit Auguſtinus, transfe-
rentur ad Ambroſianam Baſillicam, non ſolùm quos
immundi vexabant ſpiritus confeſsis eiſdem dæmo-
nibus ſanabantur. Verum etiam quidam, plures an-
nos cæcus, eo perductus, impetrauit admitti, vt ſu-
Pſal: 115. dario tangeret feretrum prætioſæ, in conſpectu
tuo mortis ſanctorum tuorum, quod vbi fecit atque
Auguſt: lib 2. admouit oculis, confeſtim aperti ſunt. Sed & ado-
de Ciuit: Dei
Cap. 8. leſcens à dæmone obſeſsus, & ad eorundem Marty-
rum

rum memoriam deportatus liberatus fuit, ac eidem restitutus oculis, quem diabolus egredi compulsus, ita excusserat, vt tenui venula in maxillam fusus pen deret. Quam admiranda sunt, quæ idem S. Augustinus de Reliquiis Diui Stephani Prothomartyris, super cuius ossa Imperator solitus est iurare, memoriæ prodidit? videlicet quod floribus primo Reliquiis S. Stephani admotis, deinde & oculis mulier cæca aspectum recepit, quod Lucillus Episcopus Sinecẽsis attactu reliquiarum S. Stephani à fistula, sit sanatus, attactu tunicæ idem, ex memoria S. Stephani allatæ à morte suscitatus, qua ratione & sanctimonialis defuncta, ad vitam rediit. Quod puer rota currus obtritus, & in memoria eiusdem Martyris positus reuixerit & illæsus apparuerit. Quod alius mortuus oleo S. Stephani perunctus, ad vitam reuocatus sit.

August: lib: 22. de Ciuit: Dei Cap: 8.

Quæ cum probe nosscnt sanctissimi maiores nostri, quicquid sanctos attinuisset, magno in pretio & honore habuere, vt primi Christiani ligneam sancti Iacobi Apostoli sedem, lapidem in S. Stephanum coniectum per quem Anconæ multa facta miracula. Terram sanctam vbi Christus sepultus die tertia resurrexit Hierosolymis allatam & sacello honoratam, ad quod vectus Paralyticus sanatus est. S. Antonius maximi fecit Tunicam S. Pauli primi Eremitę ex pal marum folijs contextam. B. Athanasius Pallium S. Antonii. Testatur & Gregorius Nyssenus, quod contrectationem sancti corporis B. Theodori non solum

Euseb: lib: 7. hist: Cap: 15. S. August: Serm 94. in Addit. ad ipsius serm. S. Aug lib. 22. de Ciuit: Dei Cap: 8

D. Hier: in vita S. Pauli. Athan: in vita Ant. Orat: in Theod: mart.

solum sanctificationem & benedictionem esse fideles crediderint, sed & puluerem quo eius conditorium obsitum erat pro magno munere acceperint.

Neque tantum sacras Reliquias venerabantur cum penes ipsos essent, sed etiam non minori labore quam religione peregrinationem ad ea loca in quibus conseruarentur, suscipiebant, non ignari Deum alto quodam consilio, & sæpius, & efficacius, ad sacrarum Reliquiarum præsentiam, vt ministros suos honoret, dona sua obsecrãtibus impartire. Vbique quidem Deus est, vt sapienter ait S. Augustinus, & nullo (cuius hîc verba inserenda esse volui) continetur vel includitur loco, qui condidit omnia, & eum à veris adoratoribus in spiritu & veritate oportet adorari, vt in oculto exaudiens, in oculto etiam iustificet & coronet. Verumtamen ad ista quæ hominibus visibiliter nota sunt, quis potest eius consilium perscrutari, quare in alijs locis hæc miracula fiant, in alijs non fiant? Et subiungit: Multis enim notissima est sanctitas loci vbi B. Fælicis Nolensis corpus conditum est, quo volui vt pergerent quia inde nobis facilius fideliusque scribi potest, quicquid in eorum aliquo diuinitus fuerit propalatum. Deinde: Nam & nos nouimus Mediolani apud memoriam Sanctorũ, vbi mirabiliter & terribiliter dæmones cõfitentur, furem quendam, qui ad eum locum venerat, vt falsum iurando deciperet, compulsum fuisse confiteri furtum, & quod abstulerat reddere, hæc D. Augustinus. B. verò Ioannes Chrisostomus mirificum Christiani

Epist 137. ad Clerũ & populum Hip.

stiani populi studium commendat. Ad locum vbi sanctus Iobus dæmonem superauit proficiscentis. Ex fimo Iob viso ait. Omnis quis capiat vtilitatē, & disciplinā multam, & exhortationē ad patientiæ lationem. Itaque multi nunc longam & transmarinam Peregrinationem à terræ finibus in Arabiam abeūt, vt fimum illum cernant, & conspicati terram deosculentur, quæ illius victoris certamina, & cruorem omni auro prætiosiorem suscepit. Et quod probauit Chrisostomus in alijs, eius sibi copiam fieri summopere desiderabat, præsertim vt magni illius Apostoli Pauli reliquias videre, exosculari, & complecti posit. Quis mihi, inquit, nunc dabit circumfundi corpori Pauli, affigi sepulchro, videre puluerem corporis illius, quæ adhuc in Christo deerant adimplentis, stigmata illius gestantis, prædicationem Euangelij vbique seminantis? Et explanans illum S. Pauli locum, *Obsecro siue hortor vos ego vinctus in Domino.* Vellem, ait, nunc etiam in eis esse locis, in quibus ista dicuntur esse vincula, Cuperem videre catenas illas, quas quidem verentur & horrent dæmones, venerantur vero Angeli. Si quis modo mortuos mihi largiretur excitandi facultatem, istud planè nō præferrem huic catenæ. Quod si liberum fuisset per curas Ecclesiasticas, & corpus habuisem validū, nihil vtique causatus fuisem, quominus tanta suscepta peregrinatione, catenas duntaxat illas, & carcerem vbi ligatus fuit, vidisem. Hæc B. Chrisostomus. Vt autem paucis etiam & domestica attin-

Homil: 23. in Episto: ad Rom.

Ephes: 4.

Homil: 8. in Episto: ad Ephes.

 gam,

gam, non desunt certe & in nostra Polonia, vt potè ad sepulchra SS. Stanislai Episcopi ac Floriani Martyrum, Hiacinti Confessoris, Ioannis Cantij Academiæ Professoris, Simonis de Lipnica, Salomeæ Haliciæ Reginæ, & aliorum, in hac inclita Vrbe sanctitate & miraculis clarissima loca; Non desunt & extra Vrbem in Regno, vt pote montis Calui S. Crucis, Częstochouiense Beatissimæ Virginis, Zebrzydouiense vulgò Caluariæ cum dimensione locorum, in quibus Saluator noster operatus est salutem nostram, cum maxima Christifidelium læticia, nostris temporibus erectum; frequenti concursu populi ac miraculis celeberrima monasteria, vbi mortui vitam, cæci visum, surdi auditum, muti loquelam, languentes sanitatem, exposcentes opem, gratiam ac auxilium consequuntur. Quæ quoniam omnibus luce meridiana clariora esse sciam, ne lumen soli addere videar, ad eos, qui luculentissimè miracula cuiuslibet Sancti & loci in quo conditus est descripserunt, te candide ac Christianæ Lector remitto. Teque ac alios ad eandem pietatem, verbis B. Ioannis Chrysostomi hortor atque inuito. *Serm. de 4. Inuentio & maximo.* Sáctorum Corpora sæpius inuisamus, tumulos adoremus, magnaque fide reliquias eorum contingamus, vt inde benedictionem ac gratiam spiritualem assequi mereamur.

Hãc igitur Christifidelium religionem, vt magni illi, & sanctitate, & rebus gestis, Reges & Principes Poloniæ, excitarent & alerent, Reliquias quasdam nobilissimas, cum alibi, tùm præcipuæ à summis

Ponti-

Pontificibus acquisitas ac sibi donatas, in hoc Cathedrali, S. Stanislai corpore specialiter, Regum denique sepultura insigni Templo recondiderunt, quæ pro more introducto singulis annis Dominica proxima post Festum S. Stanislai ad maius Altare expositæ demonstrantur.

CATALOGVS RELIquiarum SS.

Lignum vitæ
Spina Domini.
Clauus Domini.
Petra sepulchri Domini.
S. Ioannis Baptistæ.
S. Petri.
S. Pauli.
S. Andreæ.
S. Iacobi.
S. Philippi.
S. Bartholomæi.
S. Mathiæ.
S. Lucæ.
S. Stanislai Mar.
S. Venceslai Mar.
S. Adalberti Mar.
S. Floriani Mar.
SS. Innocentum Mar.
S. Stephani Mar.
S. Laurentij Mar.
S. Vincentij Mar.
S. Sebastiani Mar.
S. Sixti Papæ Mar.
S. Clementis Papæ M.
Victoris Papæ Mar.
Vrbani Papæ Mar.
Marcellini Papæ Mar.
Caij Papæ Mar.
S. Viti Mart.
S. Procopij Mart.
S. Albini Mart.
S. Theodori Mart.
S. Calixti Papæ Mart.
S. Nazarij Mart.
S. Gereonis Mar.
S. Victorini Mart.

S. Saturnini Mar.	S. Syluestri Papæ Confeſ.
S. Chryſogoni Mar.	S. Martini Epiſcopi Con.
S. Euſtachij Mart.	S. Bernardi Confeſ.
S. Hippoliti Mart.	S. Remigii Confeſ.
S. Cyriaci Mart.	S. Egidii Confeſ.
S. Sigiſmundi Mart.	S. Paulini Con.
S. Fauſtini Mart.	S. Alexii Con.
S. Hermetis Mart.	S. Stephani Regis Con.
S. Felicis Mart.	S. Oſualdi Regis Con.
S. Valentini Mart.	S. Hermani Con.
S. Lucherij Mart.	S. Barbaræ Virg: Mar.
S. Pancratij Mart.	S. Bonifacii Mart.
S. Vilibaldi Mart.	S. Rufini Mart.
S. Luciani Mart.	S. Dorotheæ Virg.
S. Conſtantini Mar.	S. Eulaliæ Virg.
S. Cumenii Mar.	S. Marinæ Virg.
S. Mauricij Mart.	S. Agathæ Virg.
SS. Coſmæ & Damia. M.	S. Mathabertæ Virg.
Quinq; fratrũ Polon: M.	S. Antoninæ Virg.
SS. Chryſanti & Dariæ M.	SS. Vndecim millia Virg.
SS. Sergii & Bachi M.	S. Mariæ Magdalenæ.
SS. Machabęorum M.	S. Brigidæ de Suecia.
SS. Thebeorum Mar.	S. Felicitatis.
SS. Cantii, Cantiani, Cantionellæ Mart.	S. Ludomillæ.
	S. Chryſtinæ.
S. Seueri Confeſsoris	S. Cunegundis.
SS. Trium Regum.	S. Beatæ.
S. Auguſtini Doct: Cretę.	

ORA-

ORATIO.

CHRISTE IESV Rex Benedicte, Corona Martyrum, Confessorum, Virginum, ac omnium Sanctorum tuorum, Domine Deus cæli, fortis, magne, atque terribilis, qui custodis pactũ, & facis misericordiam, cum his qui te diligunt, & custodiunt mandata tua. Fiant aures tuæ nunc & semper auscultantes, & oculi tui aperti ad Preces seruorum tuorum, vt per eorum quorum reliquias veneramur intercessionẽ ac merita, in illa die tremenda, dum veneris iudicare viuos & mortuos, sis nobis clemens ac propitius, ac obliuiscaris omnium delictorum nostrorum: Regnum, Regem, Proceres, Vrbem hanc, ac omnem populum Christianum, in pace custodi, vt quorum merita recolimus, reliquiis gaudemus, in terris, eosdem patronos sentiamus in cælis. Amẽ.



Psal: XXXIII.

Custodit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex his non conteretur.

